

Halle



20

1731, 11a *P. Rose*
Pub. t. b. num. 25.

14

ALMÆ VNIVERSITATIS HIERANÆ
RECTORE MAGNIFICO

DN. TOBIA JAC. REINHARTH,

JCTO, SACRI PALATII CÆSAREI COMITE, JVRID. FACVLT. ASSESSORE
ET PROFESS. COD. PVBL. ORDIN. CIVITATIS STNDICO
ET CONSULE,

DISSERTATIONEM IN AVGVRALEM JVRIDICAM,

DE

SVCCESIONE FISCI,

CONSENTIENTE

ILLVSTRI JCTORVM ORDINE

PRO CAPESSENDO

GRADV DOCTORALI

SINE PRÆSIDE

HABEBIT

FRIDERICVS Lebrecht Stolke

ADVOC. ELECT. SAX. IMMATR.

DIE XVII. DECEMBR. MDCCXXXL





COLLECTIONIS LIBRORUM MAGARIALIS

SACCESSIONE FISC


Nach der Leibniz'schen Age das erste
Jahr der Sacken'schen Collection
der Buchdruckerei so mancher
Fischer'schen Druckerei und
Druckerei des Kurfürsten von Sachsen
und anderer Sachsen'scher Druckerei
in Leipzig und Dresden.





DISSERTATIONIS JVRIDICÆ INAVGVRALIS
DE
SUCCESSIONE FISCI

§. I.



Nicuique reipublicæ, vel qui eam regit, Imperanti, vi summæ potestatis jus competere ad tuendam conservandamque Imperii dignitatem certa sibi bona, certumque patrimonium comparandi, tralatitudinem est. Solet hoc generaliter *Jus Fisci* appellari, de cuius vocis Etymologia videri post alios potest PFEFFINGER ad Vitriar. T. III. p. 1511. Sicuti vero varii subinde modi in usum publicum bona quædam conquirendi, vel conquista augendi inventi sunt: ita eo cum primis notissimum illud plurimarum civitatum institutum pertinet, quod defunctorum Facultates nonnullis in casibus, in totum. vel ex

A 2

par-

parte, in patrimonium publicum redigantur, qua de re Speciminis Inauguralis loco paucis & ad nūm morum accommodate nonnulla commentari in animum induxi.

§. II.

Quemadmodum autem nullo negotio intelligitur in præsenti de Successione Fisci tractatione hoc nomine ipsam rempublicam aut Imperantem atque adeo personam jure Fisci gaudentem indigitari, quam vocabuli *Fisci* suppositionem non infrequenter esse testatur TITIVS in *Jure Privat.* L. 8. c. 19. s. 1. ita paucis inquirendum quibusnam in Imperio nostro Romano-Germanico jus Fisci tribui debeat. Ubi quidem primo nemo ambigit, quin Imperatori, utpote Augustissimo Imperii Capiti illud eo magis attribuendum sit, quo clarius id ipsum leges publicæ adstruunt atque confirmant. Conf. A. B. c. 24. pr. ibi: Bonis ejus omnibus fisco nostro addicatis Ord. Camer. 1555. p. 2. tit. 9. §. Wir wollen auch s. inf. ubi: Doch in alle Wege dem Kayserl. Fisco seiner Gerechtigkeit . . . unvorgreiflich, Cap. Joseph. art. 26. & Cap. Carol. VI. n. 21. ubi: Zum Kayserl. einziehen. Plane de antiquioribus temporibus abunde constat, Imperatores nostros amplissimis & tantæ Majestati satis convenientibus redditibus gavisos esse v. SCHWED. Diff. de Doman. S. Romano-Germ. Imper. JVN G. Europ. Herold. T. I. p. 138. quas inter præsertim commemorari meretur, quod ipsi olim successerint in omnia bona mobilia, Archi - Episcoporum, Episcoporum, Abbatum ac Prælatorum, teste LEHMANNO in Chron. Spir. L. 5. c. 67. p. 472. 477. nec non in

(5)

in quævis bona vacantia; & indignis ablatæ. II. F. 56.
sed negari non potest Regum Germaniæ proventus
propter eorum vel negligentiam vel profusam libe-
ralitatem, vel denique temporum rationes ita de-
crevisse, ut jam SIGISMUNDVS Imperator conque-
stus sit: nihil Imperio esse spoliatus, nihil egentius, adeo,
ut qui sibi ex Germanis Principibus, successurus esset, qui
præter patrimonium nihil aliud habuerit, apud eum non Im-
perium, sed potius servitium sit futurum vid. LANSII Con-
sult. de Princip. prov. Europ. p. 191. add. SLEIDAN. de Stat.
Rel. & Reip. Carol. V. L. 17. ubi p. m. 500. de Granvellano
refert, eum in colloquio spirensi intrepide afferuisse:
quod ex Imperio ne tantillum quidem emolumenti Cæsar ha-
beat. Inspecie vero juri succedendi in bona mobilia
Prælatorum, sive eorundem spolia colligendi renun-
ciavit jam pridem OTTO IV. Imperator anno 1198.
tradente Dn. BOEHMERO in Jur. Eccl. Prot. L. I. t. 6.
§. 68. & L. 3. t. 27. §. 8. Jus autem occupandi bona
vacantia atque erexitia dudum in manus statuum
pervenit, quamvis non nulli hanc facultatem saltim
intuitu immediatorum adhuc Imperatori vindicent: vid.
HORN. Jur. Publ. Prud. c. 45. §. 26. hoc ipsum ta-
men valde incertum esse non diffitetur ipse HORN. c.
I. Ex quibus tandem colligitur, de successione fisci
intuitu Imperatorum, Regumque Germaniæ, hodie
vix quæri, nosque proin ulteriori haec tenus disquisitio-
ne supersedere posse.

§. III.

Progredimur ergo ad speciales Germaniæ nostræ
Respublicas, utpote in quibus fisci successiones multo

A 3

fre-

frequentius occurunt. Præsunt iis status & ordines Imperii, quibus superioritas Territorialis summæ Majestatis æmula, competit, ac vigore hujus etiam jura fisci optimo jure tribuuntur. Non ignoro equidem, esse quosdam juris publici Doctores, qui jura Fiscalia juri Territorii annexa esse negant, ac specialem proin concessionem Imperatoris, sive expressam sive tacitam, ad eorum exercitium requirunt, quorum sententiam non parum juvare videtur art. 26. *Capitul. Joseph.* & art. 21. *Capit. Carol. VI.* ubi : denen mit den juribus fisci behaupten oder dieselbe sonst durch beständiges Herbringen habende Chur-Fürsten, Fürsten und Ständen, vid. NITZSHII *Comment. ad Capitul Joseph.* art. 26. n. 22. 23. 24. Verum enim vero, cum non reperiatur Status, cui fisci jura hodie non competant, merito retinetur, sententia eorum, qui jus Fisci virtute Superioritatis Territorialis usu in Germania recepto ab ordinibus Imperii, exerceri censem, cum PFEFFINGERO in not. ad Vitriar. T. III. p. 1512. LYNCKERO de super. Territ. p. 26. & in Anal. ad Struv Synt. J. Cro. L. 49. t. 14. tb. 33. HORNIO in Jur. Publ. Prud. c. 61. §. 16. & aliis. Cum vero Nobiles Immediati in numerum statuum non referantur, hinc nova dubitatio exorta est, an & his jura fisci asseri jure queant? In negativam post alios inclinat HORNIVS in *Jurispr. feud.* c. 8. §. 42. nisi forte illi Jus Fisci ab Imperatore vel expresse acceperint vel tacite per præscriptionem immemorialem acquisiverint. Fundant se qui ita opinantur, partim in eo, quod Nobiles Immediati superioritate Territoriali destituuntur, partim quod in citatis articulis Capitulationum

tionum Cæsarearum mentio solum fiat Electorum Principum ac Statuum. Sed sicuti prius assertum nullo fundamento nititur, cum Nobilitati immediatae superioritas Territorialis denegari vix ac ne vix quidem dossit. Vid. PFEFFING. c. T. III. p. 1136 seqq. ita in laudatis Capitulationibus ea haud quam excluditur, sed expressa potius ejus sub initium articuli fit mentione: Unde modo dictam Nobilitatem Immediatam iuribus Fiscalibus non minus gaudere, pro explorato habemus. Add. AVCTOR. meditat. ad Capitul. Joseph. p. 266. NITZSHIVS ad Capit. Joseph. 4. 26. n. 33. seqq. FELTZIVS de super. Territ. Nob. S. R. J. Immed. denuo adser. p. spec. §. 22. seqq.

§. IV.

Ex diverso Nobilibus mediatis, nec non civitatis municipalibus ac provincialibus quantumvis me-
ro imperio gaudentibus fiscalia jura regulariter non
competere in aprico est. Utut enim nonnullis secus
videatur existimantibus prædicta jura saltem quoad
effectum successionis, fisco alias tributæ in conse-
quentiam necessariam Jurisdictionis criminalis venire,
& ad fructus ejusdem pertinere: eam tamen opinio-
nem solide confutat. STRYCK. de Success. ab Intest.
Diff. §. 10. 11. 12. & poenarum multarumque com-
pendia, cum jure succedendi, à fisci jure dependente,
perperam miseri commonstrat. Quod si itaque Sta-
tus mediati jure hocce uti sibi licere contendunt: spe-
cialem Dominii Territorialis concessionem, vel ex-
pressam vel tacitam, quæ ex præscriptione immemo-
riali præsumitur, docere debent, judice STRYCKIO

c. l.

c. l. s. 13. Singulare tamen est in Saxonia, quod ibi jus Fisci non quidem in universum ac generaliter, sed quo ad aliquos effectus, imprimis etiam quoad jus quibusdam casibus bona defunctorum occupandi, cuncte Magistratui, merum imperium habenti adscribatur, quod ex *Jur. Provinc. Sax. L. 1. art. 28.* & *L. 3. art. 80.* potissimum deducitur, v. *Dn. FREISLEBEN in Diff. de jure Fisci Landass. s. 23.* quamvis dubia quedam non spernenda contra communem dictorum textuum interpretationem moverit *THOMAS. in Diff. de Legal. Fisci Princip. Germ. circa acquist. Princip. c. 1. s. 6. lit. g. p. 21.*

S. V.

Vidimus personas juris fisci, & inde pro manantium successionum fiscalium participes: consequens est, ut ipsam successionem fisci, sive eorum qui jure fiscigaudent, curatius expendamus. Locum vero illa habet, partim si quis condito aliquo testamento decessit, partim etiam si sine ulla voluntatis ultimae declaratione vitam cum morte commutavit. Priori casu juxta partitionem *STRYCKII de Success. ab intest.* *Diff. s. 17.* iterum distinguendum est, utrum quis heredem dignum, an indignum instituerit. Si heredem dignum reliquerit, fiscus regulariter ad hereditatem adspirare nequit, nisi forte heres institutus voluntatem defuncti intra annum implere recusat, quo casu primo substitutus, vel coheres, dein fideicommissarius universalis, aut etiam particularis, aut his deficientibus, heres ab intestato imo quilibet extraneus admittitur ad hereditatem, si cautionem de implenda voluntate defun-

defuncti offerat, nemine vero cautionem prædictam præstante, in subsidium demum fiscus, si velit, admittitur. Nov. 1. c. 1. §. 1. Id quod sicuti eum in finem constitutum est, ut ultimæ defunctorum voluntates omni ex parte ad exitum perducantur: ita facile patet, & fiscum, hoc casu hereditatem cernentem adimplendam mortui voluntatem obstringi, cum quasi ex testamento heres videatur. STRYCK. c. l.

§. VI.

Quodsi vero heredem indignum testator reliquerit, id est, talem, qui hereditatis quidem capax est, sed ob grave delictum, illa sese indignum reddidit, tunc fisco semper locus relinquitur, ab indigno illo hereditatem revocandi. Qualia bona hereditaria cum in se quidem acquirantur iis, quibus relicta sunt, acquisita tamen rursus à fisco auferantur, atque heredibus eripi dicantur in l. 26. ff. ad L. Corn. de falf. Et in l. 49. ff. de jur. Fisc. inde ereptitia ab VLPIANO in Fragm. Tit. 20. §. 16. appellata sunt. Sed præjudicialis quæstio ante omnia discutienda hic enascitur, num hodienum hæc successionis fiscalis species in usu sit? Negant CHRISTINÆVS, v. 1. dec. 200. Et V. 5. dec. 4. ANTON. FABER. de Error. Pragmat. dec. 38. err. 10. aliique apud LYNCKER. de bon. erepit. §. 9. Intuitu Germaniæ vero idem statuit BEYERVS in pos. ad ff. tit. testam. quemadmodum aper. n. 20. Et ad tit. de Reg. Catou. n. 17. p. 484. Quorum omnium sententia eo credit, indignis relicta hodie magis pro non scriptis haberri, adeoque non fisca, sed potius eos, qui alias jure vel consuetudine hereditatem nancisci debuissent, succedere, præsertim

B

cum

cum jus vetus per Avr. Bonā damnatorum C. de bon. prescript. diserte correctum, & omnis publicatio bonorum, præterquam in crimen læsæ Majestatis, prohibita sit. Verum cum dicta Avtent. ad ea, quæ fiscus indignis eripit, plane non pertineat, sed tantum de successione ad mortem damnatorum disponat, horumque facultates in fiscum redigi vetet, de cetero in famoso textu II. F. 56. jus vindicandi bona, quæ ut ab indignis Legibus auferantur, inter Regalia ab Imperatore FRIDERICO I. expressis verbis referantur, de usu contrario vero sufficienter non constet: nos ad stipulari malumus illis, qui regulam & jus hodieque profisco esse afferunt, v. SCHILTER Ex. ad ff. XXXIX. §. 182. LYNCKER c. Diff. §. 9. 10. STRYCK. Vf. Mod. ff. Tit. de his quæ ut indign. §. 1. MEV. P. 5. decis. 153. De cetero facilius concedi potest, non omnes hodie pro indignis haberi, qui jure Romano tales fuerunt, sic qui necem defuncti ultus non fuerat, indignus esse censebatur, hereditatemque amittebat, L. 5. §. 1. ff. de SCto Sil. quod tamen hodie non obtainere fatetur post CARPOZIVM & HERTIVM ipse STRYCK. in Us. Mod. ff. tit. de SCto Silan. §. 2. Et ad tit. de his, quæ ut indign. §. 6. in fin. Porro tutor pupillam in matrimonium ducens, ex ejus testamento nihil penitus acquirere poterat, sed hoc lacrum ei, utpote indigno, a fisco eripiebatur, l. 2. §. 1. ff. de his quæ ut indign. l. f. ff. de legat. 1. Sed & hoc cum usu fori non convenire, ipse agnoscit STRYCK. c. Tr. Et tit. §. 4.

§. VII.

Hisce præsuppositis, operaæ pretium fore puto, si
potio-

potiores casus, quibus quis pro indigno habetur, ac pro in successione fisci locus heredem est, paucis recensuero. Hos inter occurrit 1) si ipse testator heredem post testamentum conditum heredem vel in codicillis vel per epistolam, ob ingratum ejus animum indignum dixerit *L. 12. ff. de his quib. ut dign. l. 4. C. eod.* ubi circa lectionem textus posterioris observandum, quamvis à *C V J A C I O, G O T H O F R E D O*, aliisque particula negativa eidem in serra fuerit, ita ut legatur: *Volutatem suam non mereri unum ex heredibus &c.* attamen lectionem communem, quæ particulam illam non habet, commode retineri posse, monente *G V N D L I N G I O* in *Gundling. P. IX. Obs. 3.* 2) si quis defunctum testatorem dolio occidit, veluti veneno, *L. 7. §. 4. ff. de bon. damnat.* vel saltem occasionem mortis præbuit, ita ut per ejus negligentiam & culpam is, à quo heres institutus mortuus sit. *L. 3. ff. de his quæ ut indign.* Indignus quoque 3) est, qui testatorem ad testandum coegerit, vel eidem impedimento fuit, quo minus testamentum conditum mutaret, *L. 1. pr. ff. si quis aliquem testar. prohib. l. 19. ff. d. bis quæ ut indign.* Nec minus 4) si adulter adulteram, vel hæc illum heredem instituerit. *L. 13. ff. ibid. aut 5) miles mulierem stupro cognitam L. 14. ff. eod. id quod relictum ad fiscum pertinet. Idem 6) dicendum, si heres institutus tacere sive clam, adeoque in fraudem juris fidem accommodat de hereditate in capaci restituenda *L. 10. pr. l. 18. ff. eod.* Plures quidem indignitatis causæ passim intuitu heredum testamentiorum recenseri solent: verum illæ passim usu destituuntur, partim plane admitti non debent, cum in*

legibus differre non contineantur, expeditum vero sit, pro indignis haberi non posse, nisi qui ab ipsa lege ob causas expresse definitas pro talibus declarantur. LYNCKER c. Diff. de Bon. erexit. §. 4. STRYCK. de Success. ab intest. Diff. 12. c. 1. §. 2.

§. VIII.

Ut vero in casibus memoratis fiscus admitti bonaque heredi indigno relictā eidem eripi possint, ante omnia, requiritur, ut indignus testatorem supervixerit; quod si enim vivo testatore decesserit fisco locus esse nequit. arg. l. 25. §. 1. ff. d. bis quæ ut indign. Dein causæ cognitione accedat necesse est; neque enim fiscus via facti procedere, aut ab executione incipere possessionemque indigni confessim invadere potest, sed in persecutione juris sui justitiae vigorem admittere tenetur. l. 5. C. d. Jur. Fisci. Finita vero cognitione, si heres pro indigno per sententiam declaretur, ad fiscum bona hereditaria pervenient, & quidem si ea in diversis territoriis sita sunt, immobilia eripit fiscus ejus territorii, in quo sita sunt, mobilia vero cedunt fisco territorii, sub quo defunctus domicilium habuit. LYNCKER c. Diff. §. 8. De cetero fiscus, qui hereditatem indigni abstulit, sine dubio transit in locum heredis, atque adeo instar heredis, vel saltim bonorum possessoris esse videtur. PEREZ in C. d. Jur. Fisc. n. 31. Unde legata a defuncto relictā præstat. l. 16. §. 2. ff. d. bis quæ ut indign. & dum in privati jus succedit, privati quoque jure utitur l. 6. ff. de Jur. Fisc. hinc etiam aes alienum solvit, ut ut non ultra vires hereditatis, nec amplius, quam pro æstimatione bonorum, sive inventarium fecerit,

five

sive non fecerit. PEREZ c. l. n. 31. quapropter non in-
epte heres Vicarius appellatur à STRYCK. de success. ab
intest. D. 5. c. l. §. 46. & heredi similis esse dicitur LY-
CKERO in Anal. ad Struv. Synt. Civ. d. jur. fisc. tb. 36.
in f.

§. IX.

Transeo nunc ad alteram speciem successionis fis-
ci, quæ locum sibi vindicat, ubi defunctus intestatus
decessit. Circa quam notandum I.) Fiscum admitti
etiam ad successionem quotiescumque heres ab intesta-
to indignus esse judicatur. Quod fit a) si is defunctum
dolose occiderit vel mortis causam præbuerit, v. supr.
ib. 7. quod in specie procedit, si conjux conjugem
necaverit saltem intuitu portionis statutariæ, conf.
STRYCK. de success. ab int. D. 5. c. l. §. 26. seqq. b) si de-
functum in furorem lapsum neglexerit, neque alias
suis sumtibus eundem aluerit atque curarit vid. Nov.
115. c. 3. §. 12. c) si defunctum impedierit, quo minus
potuerit testari. l. 1. pr. l. 2. pr. f. si qu. aliqu. testar. pro-
hib. In quibus casibus eadem obtinere arbitramur quæ
opho præcedente dicta sunt.

§. X.

Porro II.) successioni fisci locus est, si forte Gal-
lus, qui jus indigenatus in Germania non est adeptus,
ibidem decedat. Quia enim Rex Galliae contra exte-
ros & imprimis Germanos eo jure utitur, ut, si non
imperato Rescripto, quod vocant *Naturalisationis* in
Gallia fatis fungatur, eorum bona sibi vindicet, quod
jus Albinabigii sive Albinatus, vel juxta alios jus Adven-
ti, itemque Applicationis vocatur. Vid. STRYCK de suc-
cess.

cess. ab intest. D. I. c. 4. §. 30. hinc Principes Germaniæ jure retorsionis Gallorum in Germania morientium bona optimo jure capiunt, eaque cognatis defuncti in Gallia commorantibus denegant. Et quamvis ex innata Germanorum erga peregrinos humanitate eos saepe ab hoc jure talionis abstineant, nec in Camera illud admitti velit sc HILT. in Diff. d. jur. Peregrin. §. 22. posse tamen à Statibus Imperii, si velint, hoc jus in usum deduci, ex iis patet, quæ de Gallo quodam in terris Saxoniciis anno 1723. mortuo commemorat Dn. RECHENB. in Diff. d. Vindiciis Jurium Reipubl. & Fisci in Doctr. Retors. §. 17.

§. XI.

Deinde III.) ad fiscum devolvitur successio, si defunctus ab in testato nullum ex qualibet linea sanguinis vel juris titulo heredem reliquerit, atque adeo bona ejus vere vacantia sint. Vid. l. 4. C. d. bon. vacant. Ut itaque hereditas vacare dicatur, tria requiruntur 1.) ne testamentum adsit, per l. c. 4. ubi intestatus, adde l. 114. §. 2. ff. d. legat. i. ubi: qui intestatus decedit, & scit bona sua ad fiscum perventura vacantia. 2.) Ut non extet heres ex qualibet linea sanguinis, e. l. 4. i. e. ut non ad sit agnatus, vel hodie post Nov. 118. cognatus ex quacunque linea, descendente, ascendeante vel collaterali. Sunt equidem nonnulli ex interpretibus, qui cognatos aut agnatos usque ad decimum gradum solum admitti censem, ulteriores vero excludi à fisco autumant, ob §. fin. I. de success. cognat. Sed cum huic opinioni expresse repugnet §. 3. I. de legit. agnat. success. ubi: etiam longissimo gradu, nec non Nov. 118. c. 3. §. 1. ubi: omnes dein-

deinceps à latere cognatos, eam merito deserimus & potius in contrarium statuimus, quod cum successio sanguinis jure deferatur, consanguinitas vero in nullo, et iam extremi gradus agnato, deficiat, hæc quoque ius & effectum suum amittere non debeat. Nec obstat alleg. §. f. I. de Success. cogn. Nam textum curatus insipienti patebit liquido, Imperatorem jus succedendi haudquaquam decimo gradu voluisse concludere, & ulteriores à successione removere, sed potius declarare omnes agnatos, & si decimo gradu sint, i. e. longissimo, ad successionem admitti debere. Plane secundum MODESTINVM in l. 4. ff. de grad. & affin. non facile septimum gradum quis excedit, & ultra eum ferre gradum rerum natura cognatorum vitam consistere non patitur. Dum igitur Imperator decimi gradus, quem multo difficilis extitum esse credidit, mentionem injicit, hoc ipso prolixissimam omnes omnino agnatos ad successionem vocandi voluntatem fatis distincte testatus est. Aliud adhuc dubium movere ac simul resolvit Dn. STRYCK. de Success. ab intest. D. S. c. l. §. 24. Denique 3) nullum heredem ex juris aliquo titulo adesse oportet. c. l. 4. C. de bon. vacant. Quo nomine intelliguntur, qui non ex ratione sanguinis, sed ex singulari juris vel Civilis vel Prætorii dispositione ad successionem vocantur, fiscoque præferuntur. Quorsum spectant 1) Conjuges v. rit. ff. Und. Vir & Uxor. quod in Saxonia Electorali quoque usu servari, ac fiscum per conjugem superstitem excludi memorabilis præjudicio confirmavit Dn. FRIESS. in Diff. de Bon. Poss. Unde Vir & Uxor §. 20.37, & 38. 2) Socius liberalita-

ralitatis Imperialis, l. Un. C. si lib. imp. soc. fin. hered. de-
teff. quam legem peculiari dissertatione illustravit
MOLLENBEC. add. STRYCK. c. l. §. 29. 30. §.
31. 3.) Collegia non nulla, quibus specialiterer suc-
cedendi jus cum exclusione fisci concessum est. Sed
cum haec res usu fere destituatur, nobis superva-
caneum videtur, in recensendis hisce Collegiis prolixis
verbis commorari. Adeat, cui volupe est, STRYCK.
c. l. §. 32-38. Majorem utilitatem habet quod 4.) Ec-
clesia in bonis Clerici defuncti fiscum excludat p. l. 20.
C. de Episc. & Cler. quem textum in de suetudinem non
abiisse adstruit HORN. ad Schilt. J. J. Can. L. n. t. 18. §.
7. ad Academias vero extendit STRYCK. c. l. §. 39. vid.
nn. SCHWENCK. de Jure Academicorum i. success. fisc. th. 52.

§. XII.

Quodsi itaque omnes heredes testamentarii & le-
gitimi, hique tam ex linea sanguinis, quam juris titulo
alias succedentes, deficiant: fisco demum successio pa-
tet. Evidem non nescio, esse quosdam Ictorum,
qui vocabulum *successionis* hoc loco ferre non possunt
existimantes, fiscum bona ejusmodi haud quaquam
jure heredis aut successionis, sed superioritatis & Re-
galium autoritate occupare, quam sententiam tuetur
BACHOV. ad Treutl. V. 2. Disp. 16. th. 1. lit. f. SCHWED.
in Introduc. in Jus Publ. P. spec. Sect. 2. c. 15. §. II. HER-
TIVS d. Superior. Territ. §. 52. Sed observandum
est has locutiones fiscus succedit in bonis vacantibus, &
eadem jure Regalium occupat, non continere justam op-
positionem. Hoc ipsum etenim, quod fiscus jure he-
reditario in bonis vacantibus succedere possit, & quod
alii

alii ab hac successione arceantur, Regale & pars superioritatis est, manetque Regale, quamvis fiscus bona vacantia, ut heres occupet, quod jam recte advertit STRYCK. c.l. §. 46. Hinc est, quod fiscus hereditatis petitione agat, & ad onera hereditaria teneatur omnia que jura in illum transeant, teste MEVIO ad Jus Lubeo. Part. 2. tit. 2. art. 14. n. 80. & 81.

S. XIII.

Quamvis autem bonorum vacantium dominium statim à morte ultimi possessoris, sine herede defuncti ad fiscum transire dicatur, ita ut sine sententia ignorantis etiam fisco proprietas queratur. M E V. c.l. n. 67. 68. & P. 3. Dec. 102. n. 1. Possessio tamen non æquè transit, sed apprehendenda est. arg. l. 23. ff. de A. vel A. Poff. Antequam vero hoc fieri possit, proclamata publice affiguntur, quibus nunciatur bona illa hactenus heredem non habere, vel saltim de tali non constare, ideoque fiscum eadem occupaturum; quodsi autem qui jus se habere putet in ejusmodi bonis succedendi is simul monetur ut intra statutum ac præfinitum tempus compareat, juraque sua alleget. Termine præfixo elapso, si nullus contradicens, qui hereditatem sibi competere autemet, veniat, tunc recte fiscus eam occupat, & quidem propria autoritate. M E V. ad J. Lub. c.l. n. 70. Quanquam satius sit, sententiam declaratoriam etiam hac in specie intervenire. At si quis repetitatur, qui jus aliquod succedendi sibi afferat: fisco occupandi licentia non patet sed causæ cognitio & sententi

C

tenti

tentia per quam bona vacantia esse, declaretur, opus est. Idque multo magis obtinet, si quis jam bonorum ejusmodi possessionem adprehendit, quem fiscum expellere nequit, sed judicio contra eum contendere debet. V. MEV. c. dec. adde PEREZ. in C. de Bon. Vacant. n. 29. seqq. STRACK. de Success. ab int. Diff. 5. c. 1. §. 42. & 43. Quodsi denique post lapsum definiti termini aut etiam post factam jam à fisco bonorum vacantium occupationem quis compareat qui hereditatem sibi consanguinitatis jure deberi affirmat, insimulque se de aperta hereditate nil quicquam nec ex proclamatione rescivisse pertendat, an adhuc audiendus sit quæritur. Ubi nobis quidem affirmativa nec iniqua nec à ratione juris aliena videtur. Certe ignorantiam facti nemini nocere debere in confessio est, quamvis non dissitemur, ignorantiam hanc, quam talis contradictor alleget, juramento nonnunquam probandam esse, præsertim si quædam præsumtiones contra eundem militent. EINSIEDLER de Regal. c. 3. n. 135.

§. XIV.

Si ergo bona vere vacantia & consequenter Successioni fisci locus relinquendus, bona defuncti vero in diversis sita sint: distinctio supra §. 8. proposita etiam heic adhibenda erit, ut scilicet bona mobilia, ubique locorum deprehendantur fisco illius loci vel Territorii, in quo demortuus domicilium habuit, cedant, immobilia vero ad illum fiscum spectent, ubi eadem situ sunt. Ex quo fluit quod, cum fiscus suc-

ce-

cedens juxta §phum 12. in fin. etiam æs alienum defuncti solvere teneatur in prædicto casu isthæc debitorum à defuncto contractorum exsolutio pro rata bonorum, quæ ad quemque fiscum devolvuntur, non tam ultra vires hereditatis, fieri debeat. STRYCK. c. Tr. D.S. c. 1. §. 47. 48. Sed hinc nova exsurgit quæstio, num fiscus ad inventarii confectionem instar aliorum heredum præcisè adstrictus sit. Communis quidem sententia ab hac necessitate fiscum absolvit. Sed contrarium solidissime demonstrat STRYCK. c. l. §. 52. seqq. cuius sententiam meam facere equidem nullus dubito.

§. XV.

In eo tamèn prælaudato Autori ad stipulari non possum, quod jus fisco ratione bonorum vacantium competens etiam ad feuda mere hereditaria extendat, ita, ut ipsum dominum directum à fisco excludi arbitretur. Conf. c. Tr. D.S. c. 2. §. 5. Quamvis enim urgeat, talia feuda pro omnibus omnino heredibus, etiam extraneis, concedi, & sic ad fiscum eo magis transire posse, quo evidentius sit, Dominum de feudo mere hereditario aliquem investientem, dominium utile non prius voluisse recipere, quam omnis heres testamentarius & legitimus defecerit, hoc vero, si fiscus succedat, non contingere, cum & hic pro herede legitimò reputandus sit: attamen validiora esse, quæ pro contraria sententia adferuntur, argumenta, nemo facile inficias iherit. Neque enim temere credendum est

dominum feudum mere hereditarium alicui concedentem omnem penitus consolidationis spem in perpetuum sibi met adimere, atque rem ad manum mortuam transferre voluisse. Haec etenim successio fisci plane subsidiaria est, & locum non invenit, quo usque aliquis adest, qui vel ex qualibet linea sanguinis vel juris titulo ad hereditatem adspirare potest. Vid. supra §. II. Jam vero heic adest Dominus, dominium directum cum spe consolidationis conjunctum habens, ad quem propterea secundum ordinariam juris feudalis dispositionem utile dominium confessim rediisse videtur, ita ut fisci nullæ partes esse hactenus queant. Consentit HORN. in Jurispr. Feudal. c. 16. §. 23.

§. XVI.

Quemadum vero eæ, de quibus hucusque actum est, successiones fiscales per universam Germaniam obtinent: ita in non nullis provinciis ac territoriis Germaniæ quædam adhuc Fisci successiones singulari jure receptæ sunt, de quibus nonnulla addere operæ pretium fore, confido. Scilicet huc referri potest, IV.) Successio Fisci in rebus ad Geradam spectantibus in Terris Saxonici non nunquam locum in veniens. Tribus quippe casibus fiscus ibi in Gerada succedere potest: 1.) Si femina, nulla plane cognata relicta, obeat, 2.) Si cognata supersit quidem, sed in loco vel provincia commoretur, ubi Gerada prorsus incognita est, 3.) si cognata proxima intra annum Saxonicum Geradam non petierit. Quam successionem specialissimam

simam solidissime ex hausit Magn. Dn. D. JOAN.
 FLOR. RIVINVS. in *Dissert. de Success. Fisci in Gerad.*
 Primum casum quod attinet, fiscus Geradam ut va-
 cantem consequitur, & hinc ea, quæ de jure fisci quoad
 bona vacantia commemorata sunt, etiam hic appli-
 cari posse videntur. Hoc tamen singulare est, quod
 licet alias bona vacantia etiam geradica jure Saxon-
 ico ad illos Magistratus perveniant, qui jurisdictione
 superiori sive alta gaudent, juxta §. 8. si tamen cle-
 rici vidua, nulla cognata relictæ, decebat, Gerada tunc
 non ad Magistratum, sed Principem deferatur, teste
 CARPZ. in *Consist. P. 3. def. 9.* BARTHIO de *Gerada*
c. 2. §. 14. lit. f. p. 63. Id quod confirmat Magn. Dn.
 RIVINVS. c. 1. §. 9.

§. XVII.

In secundo casu fiscus jure retorsionis geradam
 occupat. Quodsi enim femina in Saxonia decadens
 cognatam relinquat quidem, sed in loco vel Provin-
 cia degentem, ubi jus Geradæ usu non servatur, hæc
 pariter Geradam in Saxonia petere nequit, cum pror-
 sus ejusdem successionis incapax esse censeatur. Fin-
 ge, feminam in Saxonia decadere & relinquere fra-
 trem ibidem commorantem, & consobrinam, quæ
 viro extra Saxoniam, ubi Geradæ jus incognitum est,
 nupsit: Consobrina hæc Geradam defunctæ exigere
 nequit; nam si illa prius decederet, relictæ fratre, &
 consobrina in Saxonia degente, hæc extra Saxoniam
 non admitteretur ad successionem in rebus, Geradicis,

C 3

sed

sed à defunctæ fratre, etiam quod res, quas Saxones ad Geradam referunt, excluderetur. Aequum ergo est, ut æqualitas conservetur inter diversorum Dominorum Territorialium subditos. In casu itaque paulo ante proposito, quia Gerada non potest deferri defunctæ fratri, cum masculi jure succedendi in bonis Geradicis careant, si non adsit cognata in Saxonia degens, ad fiscum eadem devolvitur. Vid. BARTH. de Gerad. c. 2. §. 14. p. 61. junct. c. 7. §. 47. p. 739. seqq.

§. XVIII.

Quoad tertium casum notari meretur, quamlibet cognatam, cui Gerada debetur, illam intra annum & diem petere teheri, alioquin per præscriptionem annalem, quæ & intuitu aliarum rerum mobilium in Saxonia obtinet, ab illa excluditur vid. BARTH. c. Tr. c. 8. §. 20. & 21. Quam primum igitur cognata, ad quain Gerada devoluta erat, jure eam petendi excidit, fiscus eandem vindicare potest. Quodsi autem nec fiscus intra annum eandem exegerit, an & ille exceptione præscriptionis annalis removeri queat, ambiguum videtur. BARTHIVS cit. spbo 21. in fin. p. 780. censet, non esse hac parte pinguis jus tribuendum fisco, quam proximæ cognitæ, consequenter elapo anno Saxonico fiscum non audi ri. At restitutione in integrum fisco succurrendum esse, eo, quod jure minorum gaudeat, in contrarium existimat Magn. Dn. RIVINVS c. Diff. §. 36. cuius

cujus sententia utique juri magis censemata ac consona videtur. Ceterum annus ille ratione initii utilis est, & à tempore scientiae & cognitionis, Geradam sibi delatam esse, computari debet monente & BARTHIO & Magn. D. RIVINO loc. cit. Tandem silentio non prætereundum, fiscum sive retorsionis sive alio quoque jure Geradam capiat, ad æs alienum defunctæ in subsidium teneri v. Præn. Dn. RIVIN. f. l. s. f.

§. XIX.

Quæ de Gerada dicta sunt, ea quoque V.) ad res expeditorias, das Heer-Gerâthe oder Heergewette, applicari possunt. Argumentum quippe frequens & probabile esse dicitur, quod à Gerada ad res expeditorias ducunt Doctores Saxonici. Fiscus igitur & in his rebus succedit, si 1) nulli omnino agnati, ad fuerint vel 2) illi in loco habitent, ubi rerum expeditoriarum nulla ratio habetur, vel 3) agnati intra annum ejusmodi res non petierint. De qua præscriptione annali tamen adhuc observandum, plures Doctores Saxonicos in ea versari opinione, quasi per eam solum qualitas rerum expeditoriarum extingueretur, ita, ut lapso anno non amplius pro talibus haberi possint, sed velut res hereditariæ considerari debeat, ac proin excluso fisco ad filias vel cognatas transferri queant, id quod etiam ratione præscriptionis rerum Geradicarum afferunt, haec tenus, ut lapso anno non statim à fisco occupari, sed, amissa rerum uten-

utensilium qualitate ad masculos devolvi possint.
Conf. BARTH. c. Tr. c. 8. §. 24. sed negare non possumus eam sententiam nobis valde dubiam videri. Ista quidem admissa, sequeretur, tertium hunc successio-
nis fiscalis modum plane exulare debere, fiscoque, si defunctus vel defuncta aliquos saltem heredes reliquerit, nunquam locum esse, quod tamen communibus omnium ferme Jure - **Consultorum Saxonicorum** Præceptis repugnat: accedit, quod agnatus vel cognata amissio per præscriptionem annalem jures res expeditorias vel Geradam petendi, pro non existente habeantur, hinc quia feminæ rerum expeditoriarum masculi autem rerum utensilium prorsus incapaces sunt, non potest non fiscus ad successionem admitti. v. L. R. L. 1. art. 27. §. 28. **Magn. Dn. RIVINVS** cit. **Diff. §. 35.**

S. XX.

Supereft, ut VI.) paucis adhuc agamus de singu-
lari fisci in multis Germaniae provinciis usitata succe-
sione, quæ in bonis *Hagestoltziorum* obtinet. Defini-
tur autem *Hagestoltzius*, quod sit persona, quæ de nu-
ptiis ineundis pro more regionis non satis fuit sollici-
ta, nec intra terminum peremtorium in civitate rece-
ptum, conjugem conquisivit, adeoque iuri *Hagestoltzia-*
tus jam subjacet. Ipsum jus vero *Hagestoltziatus* est
jus Superiori competens ad se recipiendi hereditatem
defuncti *Hagestoltzii*, vel ejus partem **V. KRESS.** de jure
Hagestoltziatus præcipue in Ducatu Guelpherbyt. c. 2. §. 5.
p. 17. Instituti nostri ratio non fert, ut in explicanda
vocis

vocis hujus originatione, aliisque ad eruendam juris
Hageſtoltzatus naturam & vim pertinentibus contro-
versis, nostra etiam ætate agitatis, desudemus, hoc
potius annotasse sufficerit, quod fiscus in bona ejus-
modi cælibis mortui, exclusis Parentibus & collatera-
libus, in locis, ubi jus memoratum viget, succedat, &
quidem nonnunquam in bona omnia promiscue, ali-
bi ut in Ducatu Brunsuicensi, in bona solum, quæ no-
viter ab *Hageſtoltzio* acquisita, alibi rursus in sola mo-
bilis, ut adeo mores cujuscunque regionis hic potissi-
mum attendi debeant. BEYER. pos. jur. Germ. L. 2. c. 12.
n. 25. seqq.

§. XXI.

Tandem etiam attingendum erit, qua ratione jus
succedendi fisco tributum, per præscriptionem extin-
guatur. Hic scilicet quæstio non est de rebus fisco
jam jam actu quæsitis, sed adhuc quærendis, hinc præ-
scriptio quadragenaria, quæ intuitu rerum fiscalium
alias introducta est, l. 4. C. de præscript. 30. vel 40. ann.
hic locum habere nequit. Distinguendum igitur erit,
inter bona vacantia & reliqui fisci emolumenta. Il-
la quod concernit, rursus dispiciendum est, utrum
fisco sint nuchiata, & ab eo neglecta, annon? Pri-
ori casu præscriptio quadragenaria sufficit, l. 1. C. de Qua-
dragen. præscr. ubi hoc ipsum notum esse dicitur. Po-
steriori vero præscriptio ordinaria requiritur l. 18. ff. de
usurp. & usuc. hoc est, quoad mobilia præscriptio
triennii, quoad immobilia vero decennii, BERGER.

D

Octo^s

Geconom. Jur. L. 2. tit. 2. §. 23. p. 257. EV. OTTO ad
 §. 9. *J. de Usucap.* Quoad reliqua fisci emolumenta,
 e. c. si indigno hereditas auferatur, præscriptio XX.
 annorum custoditur, nisi in quibusdam causis minorum
 tempora servari specialiter constitutum sit. *I. 13. ff.* de
 divers. tempor. præscr. De præscriptione annali, quæ
 in Saxonia intuitu Geradæ & rerum expeditiarum
 observatur, supra §. 18. & 19. jam mentio injecta.
 Quoad præscriptionem rerum jure *Hagenfoltziatus* ad
 fiscum delatarum non satis inter Doctores convenit.
 Juxta Illustr. Dn. WERNHER. in *Dissert. de jure Hagen-*
foltz. §. 34. ea, quæ occupationi bonorum vacan-
 tium præfinita est, præscriptio locum in iis habet.
 Aliter sentit Dn. KRESSIVS cit. *Diss. c. 7. §. 7. p. III.*
 ratus, successionem fisci in bona ab *Hagenfoltzio* ac-
 quisita, eo quod sit species successoris statutariae seu
 juris Civilis provincialis, nonnisi XXX. annorum præ-
 scriptione extingui. Nobis vero ob generalitatem d.
I. 13. præscriptio vicennaria sufficere videtur, nisi forte
 aliud legibus provincialibus cautum sit.

§. XXII.

Habes hic L. B. quæ in præsentiarum specimi-
 nis loco de materia successionis fisci commentari, mi-
 hi integrum fuit. Labor subitus est, fateor, quem ta-
 men inopinato loco & tempore suscepisse profiteri quo-
 que hisce, non erubesco. Temere hinc me accusa-
 bis, si thema ipsum tritum, & ab aliis ante tractatum
 reprehendendum autumes, si adhuc limam expo-
 scere

scere affimes, si res hic, quas alii fuisus pertractare repositas nominaveris. Circumstantiae nimirum, ut ajunt, variant interdum applicationem. Unicum mihi hinc sufficiet, tibi hoc fateri, alterum vero exposcere, scilicet ut hunc laborem ita reputes, quem terminus octo dierum inchoavit, peperit terminavit.

T A N T V M .



Co-

COROLLARIA.

I.

Turpe est Patricio & Nobili, Jus, in quo
versatur, ignorare.

2.

Quilibet privilegio pro se introducto renun-
ciare potest.

3.

Feminæ ab omni virili officio merito arcentur.

4.

An Sacerdotalis copula essentialie matrimonii
constituat? quæsitum fuit.

5.

Femina soluta majorennis de hereditate transi-
gere sine Curatore non potest.

6.

Illatio dotis in dubio non præsumitur.




ULB Halle

3

005 367 751



VDN 8



Pub. 16. num. 25,

14

ALMÆ UNIVERSITATIS HIERANÆ
RECTORE MAGNIFICO
DN. TOBIA JAC. REINHARTH,
ICTO SACRI PALATHI CÆSAREI COMITE, JVRID. FACULT. ASSESSORE
ET PROFESS. COD. PVBL. ORDIN. CIVITATIS STNDICO
ET CONSULE,
CONSENTIENTE
ILLVSTRI JCTORVM ORDINE
PRO CAPESSENDO
GRADV DOCTORALI
SINE PRÆSIDE
HABEBIT
FRIDERICVS Lebrecht Stolhei
ADVOC. ELECT. SAX. IMMTR.
DIE XVII. DECEMBR. M DCCXXXL

KENFRIED
UNIVERS.
ZVHALLE

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-831112-p0033-2

DFG